

## † R. Fr. Ioannes Ev. Novotný (1919-1949)

(Prov. Prag.)

Rev. Diaconus Ioannes Ev. Novotný natus est Brunae in Moravia die 4 Decembris 1919. Ad Congregationem nostram allectus est a R. P. Aloisio Pokorný CSSR, qui cultum SS. Cordium in familiis christianis cum zelo propagabat. Ita a 1934 Ioannes noster tertiam classem iuvenatus Libějovicensis adauxit. Exinde normam sibi pro tota vita reportavit adagium R. P. Directoris Franc. B. Novák (nunc « in metallis » laborantis): « De omnibus aliquid, de aliquibus omnia ». Studia eius multos ramos scientiarum artiumque complectebantur; praeter alia stenographiam et elementa linguae Hindustanicae addiscebat. A. 1939 professionem religiosam Budviciis emisit et ad studia humaniora finienda (VII et VIII classem) cum aliis confratribus petiit Pragam.

A. 1941 in studentatum Obořištensem venit. Sed ante festa Natalitia a. 1942 ad laborandum cum pluribus confratribus suis « angariatus » et in Germaniam missus est. In officinis oppiddi Aschersleben navibus aëreis « Junkers » construendis usque ad finitum bellum operam navabat. Multos et periculis plenos incursus aëreos subiit. Plura itinera data occasione perfecit: Rhenaniam, Vindobonam, Berolinum, montem Brocken invisit.

Augustam metam Sancti Sacerdotii de oculis numquam amisit. Catholicam ecclesiam Ascherleben iam ex corde adamabat.

Vere 1945 e Germania in studentatum rediit et studia repristinavit. Sed valetudo eius iam concussa erat, quamquam corpore athleta putabatur. Organismus eius morbo quodam latenti rodebatur. Ordine Diaconatus iam suscepto cancer (carcinoma) pulmonum a medicis Pragensibus detectus est. Mox metastasis morbi in corpore apparuit. Cerebrum quoque morbo affectum est. Die 3 Maii 1949 mors repentina confratrem nostrum e vivis eripuit.

Modus agendi carissimi Fr. Novotný aliquando videbatur mirus. Sed eminebat in eo amor erga Nostram Matrem B. V. M. necnon specialis cultus S. Teresiae a Iesu Infante, cuius imaginem et duplicem editionem operis « Historia animae » penes se tenebat. Ultimo tempore munus obibat per cubicula distribuendi aquam benedictam. In nosocomium Pragam profecturus munus istud alii tradidit confratri animadvertens: « Diligenter cura, ne aqua benedicta in cubiculis deficiat. Dolendum esset, si deficiente aqua benedicta occasiones lucrandi indulgentias amitterentur ». Repentina mors confratris animos sodalium eius Obořištensium profunde commovit atque oculos omnium ad colles aeternos intensius convertit. R. I. P.